



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

**Calino, Cesare**

**Augspurg ; Graez, 1744**

**VD18 80280064**

In Festo S. Mathiæ Apostoli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)

plurimum prodest. Mense VIII. Disc. 233.  
pag. 326.

IN FESTO  
S. MATHIÆ APOSTOLI.

1.  
*Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.*  
*Matth. 11.*

Quantopere vel umbram superbiæ & humani splendoris aversetur DEUS, satis ostendit in electione S. Mathiæ. In locum Judæ statuerunt Apostoli duos, viros verè sanctos: inprimis Josephum, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus: & Mathiam. Non illum tam nobilem, tam nominatum, ac celebrem, sed simplicem Mathiam in Apostolum elegit DEUS: *Cecidit fors super Mathiam.* Discamus ex hac electione verum odium omnis superbiæ, utpote quæ hominem simillimum diabolo, dissimillimum Christo facit. Mense V. Disc. 147. pag. 529.

2.  
*Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus.* *Matth. 11.*

Nihil abscondit DEUS illis, qui sapiunt secundum DEUM, & ad sobrietatem. Illis  
ergo

ergo solum sapientibus abscondit DEUS mysteria sua, qui sibi solis sapere videntur, & ingenio suo confisi quidlibet efficere se posse arbitrantur. Verum *sapientia mundi stulticia est apud DEUM*. Falsa hæc prudentia existimat se bene agere, & videre multa, cum tamen cæca sit; videtur sibi ducere ad felicitatem, cum tamen trahat ad extremam miseriam. *Mense VIII. Disc. 232. pag. 311.*

3.  
*Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus. Matth. 11.*

Deridetur justis simplicitas, ut ait S. Gregorius *in Lect. 2. Noct. de Conf. non Pont.* Verum & ipsa duplicitas deridetur à DEO, quam nos falsitatem, astutiam aut versutiam, vel melius dolositatem appellamus. *Si sapiens fueris (secundum DEUM) tibi metipsum eris; si vero illusor, solus portabis malum.* Detestemur igitur hanc falsitatem, & amplectamur Christianam simplicitatem. *Mense VIII. Disc. 234. pag. 343.*

4.  
*Cecidit fors super Mathiam. Act. 1.*

Vir admodum sanctus erat etiam Josephus Barfabas cognomento Justus, & in magna omnium existimatione. Verum permisit in primis DEUS, ut cum illo eligendus per sortem statueretur Mathias, vir simplex, rectus, & humilis: disposuit deinde, ut fors caderet super  
Ma-

Mathiam ; non quòd ille minùs humilis esset, sed ut ostenderet, ni fallor, ipsius etiam nominis humilitatem DEO præplacere, eúmque velle commendare omnibus hanc virtutem ; est enim DEO planè acceptissimã, quam ipse tot ornat laudibus, tot gratiis cumulat, ad tantos honores promovet. *Mense IX, Disc. 261. pag. 272.*

IN FESTO  
S. JOSEPHI.

I.

*Cùm esset desponsata mater Jesu Maria Joseph. Matth. 1.*

In tota S. Scriptura nullibi ita conjuncta occurrunt JESU, Mariæ, & Josephi nomina, sicut in hodierno. Castissimi & innocentissimi omnes omnium uno die occurrunt, & eo quidem die, quo Josephi quædam anxietas de graviditate virginis nunciatur, at eo ipso certior ejusdem castitas annunciatur. Proponitur hæc castitatis virtus omnibus imitanda, ut per tanta exempla allecti, non virgines solùm, sed & conjugati & vidui singulari in eam studio ferantur. *Mense VIII, Disc. 239. pag. 417.*

2.